



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

**Petri De Dusburg, Ordinis Teutonici Sacerdotis, Chronicon  
Prussiae**

**Petrus <de Dusburg>**

**Francofurti ; Lipsiae ; Regiom. Pruss., 1679**

Cap. CCCIII. De Victoria fratrum contra Regem Lethovvinorum.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-11850**

## CAP. CCCII.

De

*Morte Syfridi Magistri generalis  
& terra Prussia.*

**H**Oc anno III. Nonas Martii frater Syffridus de Wucgvangen Magister Generalis Ordinis Domus Teutonicæ mortuus est in domo principali Mergenburg/ & sepultus Colmse in Ecclesia Cathedrali.

## CAP. CCCIII.

De

*Victoria fratrum contra Regem  
Lethovviorum.*

**E**odem anno in vigilia Palmarum Vithenus Rex Lethovia putans quod omnia sibi deberent ad nutum succedere sicut prius, cum IV. millibus virorum prælectorum intravit terram Pruschia, & Episcopum Warmiensem depopulavit adeo, quod nihil extra castra & munitiones remansit, quod non esset exustum, captum, aut occisum. In hoc & priori bello Ecclesiis & vestibus sacris & vasis ministris & Ecclesiæ Sacramentis verecundiam magnam fecit & præter aliud spolium, quod fuit multum nimis ultra mille & ducentos captos Christianos homines secum duxit: Et ecce Rex iste blasphemus nominis Christi, dum veniret in solitudinem ad terram Barthensem in campum dictum Woyploc mente effrenatus gloriabatur, quasi potens in potentia exercitus sui, nunquam recogitans potestatem Dei, & ait ad Christianos captos, qui ligati astiterunt ibi: Ubi est DEUS vester, quare non adjuvat vos, sicut Dii nostri auxiliati sunt nobis nunc & alterâ vice? Christiani ingemiscientes tacuerunt.

Se-

Sequenti die scilicet VIII. Idus Aprilis Fr. Henricus de Plecke Magnus Commendator & CL. fratres cum multo populo adven-  
erunt & invenerunt Regem & suum exercitum undique  
indaginibus vallatum, & in primo congressu Lethovini LX.  
viros Christianos interfecerunt; sed dum viderent fratres cum  
suo Vexillo & multitudinem copiosam armatorum sequentem,  
irruit super eos pavor & adeo emarcuit cor eorum, quod non  
habebant ultra virtutem resistendi; undè quasi in ictu oculi re-  
jectis armis omnes terga verterunt. Extunc fratres cum suis in-  
sequentes, percusserunt eos plagà magnà, sic quod Rex cum  
paucis vix evasit, alii gladio trucidati sunt, quidam submersi, cæ-  
teri insolitudine consumpti inedia vel dolore se suspendentes.  
Mulieres etiam Christianæ, quæ captæ ibi fuerant, dum vidis-  
sent sibi de cælo victoriam venisse, immemores fragilitatis se-  
xus sui irruentes repente in Lethovinos, qui eas custodiebant  
modo, quo poterant, occiderunt. In memoriam hujus glorio-  
sæ victoriæ & ad laudem & gloriam Jesu Christi fratres clau-  
strum sancti monialium in Civitate Thorun fundantes donis  
magnificis dotaverunt.

ANIMADVERSIONES.

- (a) Woyplocz legit Strykovsky. Woplauß / Jeroschinus.  
(b) Alii habent. 80.

CAP. CCCIV.

De

*Vastatione territorii Pograude.*

**H**Oc anno in æstate Gevehardus de Mansfelt Commendator  
de Brandenburg & (a) multi fratres cum mille & quingen-  
tis viris equitaverunt ad territorium Pograude, & licet scirent  
Lethovinos præmunitos & paratos in armis ad defensionem,  
cum commiserunt se DEO, qui non deserit sperantes in se, &